



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

II. De his qui metu turbati in haeresim lapsi sunt, vt, si conuersi fuerint, ad communionem admittantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

IV. De commendatione Iuliani *qui Flauiano episcopo fide adha-*
episcopi, vel eorum clericorum, serunt.

Leo episcopus, Anatolio episcopo.

I.

GAUDEMV S in Domino, & in dono gratiæ ipsius gloriamur, quia sicut dilectionis tuæ literis, & fratrum nostrorum, quos Constantinopolim miseramus, relatione cognouimus, sequacem te euangelicæ eruditionis ostendis: vt per sacerdotis probabilem fidem merito præsumamus, quod tota ecclesia eidem credita, nec rugam cuiusquam sit erroris habitura, nec maculam, dicente Apostolo: *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Illa est enim virgo ecclesia, sponsa vnus viri Christi, quæ nullo se patitur errore vitari: vt per totum mundum vna nobis sit vnus castæ communionis integritas, in qua societatem tuæ dilectionis amplectimur, & gestorum, quæ sumpsimus, seriem necessariis (sicut oportuit) munitam subscriptionibus approbamus. Vt ergo inuicem dilectionis tuæ animus nostris confirmaretur alloquiis, filios nostros Casterium presbyterum, Patricium & Asclepiadem diaconos, qui ad nos tua scripta detulerunt, cum epistolis nostris post venerabilem diem festi paschalis remisimus: indicantes nos (vt supra diximus) de Constantinopolitanæ ecclesiæ pace gaudere, cui hanc curam semper impendimus, vt eam nulla velimus hæreticorum fraude violari.

II.

De fratribus vero, quos & epistolis tuis, & legatorum nostrorum relatione communionis nostræ cupidos esse cognouimus, eo quod doleant se contra potentiam, contraque terrores non tenuisse constantiam, sed alieno sceleris præbuisse consensum, cum ita eos formido turbasset, vt in damnationem catholici atque innocentis antistitis, & in receptionem detestabilis prauitatis trepido famularentur obsequio; illud quidem quod præsentibus & agentibus nostris constitutum est approbamus, vt suarum interim ecclesiarum essent communionem contenti: sed cum legatis nostris (quos misimus) participata tecum sollicitudine volumus disponatur, quatenus hi, qui plenis

1. quæst. 1.
In ecclesia
Dei quæ
corpus.

Rom. 8.

fatisfactionibus male gesta condemnant, & accusare magis se eligunt, quam tueri, pacis & communionis nostræ unitate latentur: ita vt digno prius anathemate, quæ contra fidem catholicam sunt recepta, damnentur. Ali- ter enim in ecclesia Dei, quæ corpus est Christi, nec ra- ta sunt sacerdotia, nec vera sacrificia: nisi in nostræ pro- prietate naturæ verus nos pontifex reconciliet, verus immaculati agni sanguis emundet. Qui licet in patris sit dextera constitutus, in eadem tamen carne, quam sum- psit ex virgine, sacramentum propitiationis exequitur, dicente Apostolo: *Christus Iesus, qui mortuus est, imo qui & resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro no- bis.* Neque enim potest in aliquo benignitas nostra re- prehendi, cum satisfacientes recipimus, quos dolui- mus esse deceptos. Nec aspere igitur communionis no- stræ gratia deneganda est, nec temere largienda: quia sicut plenum pietatis est oppressis caritatem dominicam redhiberi, ita iustum est, omnia perturbationis auctori- bus imputari.

III.

De nominibus autem Dioscori, Iuuenalis, & Eusta- thii ad sacrum altare non recitandis, dilectionem tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidem constituti fa- ciendum esse dixerint, quodque honorandæ sancti Fla- uiani memoriæ non repugnet, & a gratia tua Christianæ plebis animos non auertat. Nam iniquum nimis est atque incongruum, eos qui innocentes & catholicos sua perse- cutione vexarunt, sanctorum nominibus sine discretione misceri, cum damnatam impietatem non deserentes, ipsi se sua prauitate condemnent, quos conuenit, aut percel- li pro perfidia, aut laborare pro venia.

IV.

Fratrem vero & coepiscopum nostrum Iulianum, & clericos, qui sanctæ memoriæ Flauiano fidelibus officiis adhæserunt, dilectioni quoq; tuæ volumus adhærere: vt quem fidei suæ meritis viuere apud Deum nostrum noui- mus, in te sibi eum præsentem esse agnoscant. Illud quoq; dilectionem tuam nosse volumus, fratrem & coepiscopū nostrū Eusebiū, qui causa fidei multa discrimina, laboresq; tolerauit, nobiscum interim demorari, & in nostra nunc